

tantus est calor, vt faciat fluxum colliquatium. Vtrum modò splen concurrat? Patitur mœrores animi: hinc collecti humores melancholici, qui etiam in egestionibus apparuerunt, nec esse potest, quin afficiatur splen affecto hepate, & ventriculo. Non est hic fluxus stomachicus: hic enim est ob intemperiem malam ventriculi. Est ergo hic fluxus ob humorē imbibitum in tunicis ventriculi: quando hic humor resoluitur, cessat fluxus. Habet omnes operationes alias sanas, quare etiam alia membra non peccant. Ventriculus est redditus quidem frigidior, talis tamen frigiditas non est causa immediata huius fluxus: quare fluxus non erit stomachicus.

*Prognosticum.* Dico quòd possit sanari, non tamen facile, quia cum hæc pituita habeat suas vias paratas per tatum tempus, habitus aliquis in hoc tempore est factus, non tamen est adeò senex, quòd destituatur calore.

*Cura.* In hac cura duo aduertenda. Primum, cum sit periculum, ne incidat ventriculus in habitualem frigiditatem, quærenda remedia, quæ non infrigident ventriculum: hepatis tamē ratio habenda, ne calefiat, sed potius alteretur ad oppositum, & ita temperabimus medio modo, vt principaliter ventriculus expurgetur ab istis imbibitis humoribus, ac postmodum corroboretur (quod difficilius erit euacuatione) ne rursus incidat in peius. Accipiat aquam balneorum Patauinorum, quia hic facta est aliqua impressio frigida in ventriculo: potus itaque exiccabit vi fulfuris, & mineralium subtilis substantia est in his balneis, quæ penetrabit ad eos humores exiccandos, ac ratione salis absterget, & corroborabit ventriculum, sumat tamen modicum aquæ, ne lædatur. Si curabitur hoc pacto, bene: si non, curandum, vt ventriculus semper sit euacuatus ab hac materia: quod postea videbimus.

#### CONSILIVM CCX.

*De cholera, scriptum à Hieronymo Schreibero Norico, 1546.*

**I**NCIDERAM in eam passionē ex potu vini, vt ego suspicor, & quòd syrupos ex sero lactis caprini sumerē cum succo fumiterræ, non prius apertis viis communibus, quod serum in ventriculo remanens, flatus excitabat, & extendebat totum ventrem inferiorem, ita vt id in anhelitu etiā impedimentum sentirem. Prima nocte quæ erat 2. Maij dolores augebantur, ita vt somnum impedirent, non planē tamen. Cùm ter sese materia per ventrem euacuaret, die secundo quasi pondus me in ventre gestare sentiebam, non curabā tamen, nec à cibo, neque à potu abstinebam, noctu postea vapores caput petentes, somnum insuauem faciunt & inquietū. Stercora me ex ipsis intestinis ascendenti euomere somniabam, & alia nescio quæ somnia, succedit nausea, & ea nocte octies vomitus per interualla cōsequutus est. Primò ea quæ vesperi comederā reiiciebam, vinum etiam redolebant, postea fumi terræ saporem & aloes etiā (eo enim vesperi pillulas acce-

peram) mista erat materia plurima & pituitosa & cholericæ, ita noctem pessimam habebam & graui somnia: die subsequenti alius etiam mota ter est fusa. Venit Montanus & audita historia, videns virtutem satis constantem, voluit vt eo die brodij pulli biberem quātum vellem ad obtundendam humorum acrimoniam: nec præterea aliquid comederem, nisi vesperi panatinam sorbere cuperē, ac omnino quiescerem, ne materiæ motus aliquo modo impediretur, aut cōtra, Aph. 20. prim. particula fieret quæ iudicatur, aut iudicata sunt integre, &c. Ego me in lectū coniciens quieui quātum potui, & eo die præter brodia nihil sumpsi, sub vesperum semel adhuc, sed parum vomui: postea cessauit vomitus, & alius etiam sistebatur, noctem habui quietam, non ita tamē vt præcedentem. Sequenti manē Montanus reuersus voluit vt inciperē melius comedere, carnes pulli vel vituli, & bibere aliquid vini, sed bene aquati, & si natura nihil amplius operaretur, vt eo vesperi acciperē 3. ij. hieræ simpl. cum melle rosato in bolū congestæ, pro euacuatione reliquiarum à natura relictarū, ne quæ relinquerētur in morbis reciduas facerent, 2. Aphor. 12. Noctu melius habere & quietius dormire cœpi: ac sequenti manē 4. sedes habui copiosas, materia educta biliosa & maligna admodum, erodens etiam anum, ita vt aliquot diebus ea loca dolerent admodū. Postea conualescens consului num de integro corpus purgandum: dissuasit illud, cū sola diætā rectori, id quòd intenderem, efficere possem, ita conualui. Interrogatus sequenti die quid agendum, si in tali vomitu & fluxu ventris virtus etiam deficeret? Respondit distinctè: si sit ex acrimonia humorū infestantiū os ventriculi & syncopen exiccantium, subito exhibendum panē tostum intinctū in vino granatorū; Maluasio, vel vino aromatico si ex inactione nimia, ob purgationem maximè, brodiis pulli aliqua substantiæ habentibus vtendum.

#### CONSILIVM CCXI.

*De cholera pro clarissimo Frizimelica, 1546. Mense Augusto.*

**R**RIZIMELICA in choleram morbum incidit, reuersus ex itinere Tridentino, quòd fructus plurimos comedisset, & aquam superbibisset: erat enim abstemius. Vocatus Montanus, videns eum in maximis doloribus, & extremis angustiis, & de seipso desperantem, voluit vt statim exhiberetur hieræ simplicis drach. ij. cum drach. quatuor, electuarij lenitiui & 3. ij. Mithridati, quod propter suspicionem veneni addidit: sed accepto vnico bolo, illum illico iterum euomit, & cùm sentiret subleuationē, reliquos accipere noluit. Acceperat iam clysterem ex communibus herbis, cum melle rosato, & diaphenic. sed parum eduxit, quia non diu continebat: pro sedandis doloribus ordinauit.

**G**  
R. Camomill.  
Anethi  
Absinthij  
Rosarum ana M. j.

Deco.